



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1691. usque ad annum 1701

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 95. Francisci Maildachini Cardinalis extrema .

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67627](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67627)

venditarit, aliosque aspernatus sit, at- Sæc. XVII.
 que in juventute sua morum licentiæ A. C. 1700.
 plus æquo indulserit: utut autem sit, ne-
 gari haud potest, quod postea hosce næ-
 vos, si unquam in eo reperti fuerint, assi-
 duo virtutum studio, vitæque ad pro-
 bitatis normam composita eluerit.

§. XCV.

*Francisci Maildachini Cardinalis
extrema.*

Eodem hoc anno vivis valedixit Fran- Cornar. Re-
 ciscus Maildachini Cardinalis, qui lat. de la
 a Donna Olympia ejus Amita multis, Cour de
 falsis tamen encomiis deprædicatus ab Rom. Mer-
 Innocentio X. Papa anno ætatis suæ cur. Hist.
 vigesimo sexto Cardinalis Diaconus no- Justa Stat.
 minabatur, quamvis literarum ignarus, Purp. n. 15.
 facie deformis, ingenio hebes, ac ipsius pag. 66.
 quoque Romani idiomatis expers esset:
 unde ob crebros imbecillitatis suæ næ-
 vos universo Cardinalium Collegio exo-
 sus, ab ipso suo Fratrem despectui habe-
 batur: Adultior tamen factus, atque
 in Galliis aliquamdiu moratus, ani-
 mum nonnihil excolere cæpit, nihilo-
 minus existimatione jamjam amissa,
 apud summos Pontifices, ceterosque
 Cardinales adeo nullius ferme momenti
 erat, ut etiam Innocentius XI. & Ale-
 xander VIII. præciperent, ne Mail-

Sæc. XVII. A. C. 1700. dachinus unquam ad classem Cardinalium Episcoporum admitteretur, proin nunquam Decanus cum sacri Collegii dedecore fieri posset: quinimo Alexander VII. Papa eum ob turpe quoddam facinus Roma excedere iussit, quamvis illum postea ibidem tolerare a Galliarum Rege compulsus esset, eoquod in conclavi Gallicæ factioni favisset. Inter tot nævos celebratur tamen tanquam Vir arcani tenax, obsequiosus, ac ferme ad prodigalitatem liberalis, tandem vero Neptunii die decima tertia Junii anno ætatis suæ septuagesimo nono vivere desiit.

§. XCVI.

Tres Cardinales ab Innocentio XII. Papa creati.

*Foresti
Mapp.
mund. t. 2.*

Inter creberrimas, quibus Innocentius Papa durante suo Pontificatu iactabatur molestias ac tædia, subinde sacra quadam consolatione ejus animus recreabatur, hocque anno ingens gaudium præseferbat, dum ei nuntiatum, quod Maria Elisabetha Ducissa Biontina atque Adolphi Joannis Ducis Filia Parisiis hæresin ejurarit: insuper pio Seni lacrimæ præ gaudio manarunt, ob ingentem multitudinem hominum ac Principum, qui ad celebranda Jubilæi Uni-